

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



XXXVI

1675 2 7

DE
PRUDEN-
TIA REGNANDI
PARTICULARI,

SEU
DE RATIONE STATUS
POSITIONES POLITICÆ
HISTORICÆ,

disputationi publicæ in illustri Gymna-
sio SERVESTA-ANHALTINO propositæ,

PRÆSIDENTE
CYRILICO HERDESIA-
NO J. U. D.

RESPONDENTE
ABRAHAMO ULRICO
Servestano.

1. Xbris

SERVESTÆ
Typis Zachariæ Dörfferi,
Anno M. DC. XV.





NOBIL. ET PRÆSTANTISSI-
MO JUVENI,

Dn. CHRISTOPHORO
RÖTTINGERO,
PATRIC. NEROLING. & C.

Cognato suo dilectiss.

HANC
RATIONIS REGNATIVÆ
MEDULLAM

&

Quantulamcunque

PEREGRINATIONUM
NOSTRARUM

Per

Germ. Belg. Angl. Gall. Ital. Hiss.
feliciter unâ confectarum

TESSERAM

L. M. Q.

Dicat & addicit

KYR. HERDESIANUS.



THESIS I.

INTER arcana Imperii recenset
C. Tacitus nobilissimam hanc materiam,
quam Itali *Ragione di stato*, Hispani *Raçon
del estado*, nos latinè eam PRUDENTIAM
REGNATIVAM, seu *jus dominandi particulare* nuncu-
pamus, eò quòd prudentia seu RATIO status genera-
tim sumpta nihil aliud sit, quàm notitia acquirendi,
conservandi & ampliandi imperium: Quo sensu to-
tam scientiam politicam intelligit Boterus *in inscript.
sua de stat. rat.* Anton. Palazzius *de ration. stat. part. 1.
c. 1. & 14. 17. 18. 19.*

II.

Antequam autem perpendamus, quid propriè sit
hoc regnandi jus, ex partitione juris, in *naturale, genti-
um, & civile*, videbimus, quòd, sicut jus naturale cedit
juri gentium, & hoc juri civili; ita quoq; RATIO STA-
TUS, seu nostrum jus regnandi omnibus juribus præ-
judicat, atq; majori rationi omnino concedit minor.
Ammirat. disert. pol. lib. 12. disc. 1. Pulcerrimè depin-
git rationem status Cæsar Ripa *in sua Iconologia p. 453.*

III.

Nihil ergo aliud est hoc jus regnandi, seu RATIO
Status, quàm prudentiæ vel juris communis deroga-
tio propter publicum bonum, seu majoris alicujus &
magis universalis finis consequendi gratiâ: aliter Jus
STATUS definit notitiam practicam ejus, in quo est,
R. Andr. Canonberius in disc. pol. quest. Quid sit jus stat.

A 2

IV. Et

IV.

Et hoc videtur innuere augustiss. historiae Augustae scriptor lib. 14. annal. *Habet, inquit, aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod adversus singulos utilitate publica rependitur.* Videatur Seraph. Angotta in discurs. civil. cap. 6.

V.

Quod axioma politicum rectè intellectum nihil mali continet, accommodatum huic prudentiae, quae si diffidentiam quadam condatur, atq; dissimulatione interdum, perfectior redditur. Quod tamen non intelligendum juxta doctrinam Machiavelli, lib. 2. de principe traditam. Vid. *Antimachiavell. l. 2. max. 1.*

VI.

Hinc nullam Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis magis quam dissimulationem diligebat. & juxta veteranum illum Imperatorem, *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Just. Lipsius 4. polit. c. 14.

VII.

Quae tamen omnia ita accipienda sunt, ne contra jus divinum, vel expressum Dei mandatum: & directè contra bonos mores politicus HAC RATIONE STATUS utatur, vel abutatur potius. *Canonher. d. q. Quid sit jus stat. Anton. Palazzius part. 4. cap. 23.*

VIII.

Intra quos cancellos Prudentia haec conclusa, facit, ut quoties particulare bonum & universale concurrant, publicum privato bono praefertur. *Palazzo part. 3. c. 27.*

IX.

Quod in trino humanae vitae genere, exemplorum deductione facilius cognoscere possumus, initio factò à Statu OECONOMICO, in quo tamen obscurius haec

us hæc ratio Status patet, non nisi relatione ad publicum facta. *Ammirat. d. l. 12. disc. 10*

X.

Ex causa matrimoniali hoc elicimus in iisdem Prudentiæ regnativæ terminis, quod, licet matrimonia ad animos conciliandos, ad adfinitatem & amicitiam stabiliendam maximè conducant; ob majorem tamen rationem, in principatibus maximè & Regnis, nullus habetur respectus adfinitatis, aut consanguinitatis, si sub velo matrimonii status tuus petatur, & publicæ rei inferatur clades. Exemplum habemus in Carol. V. Imp. & Francisc. I. Galliar. Rege, Henrico item II. Gall. & Philippo II. Hispan. qui non obstante adfinitatis contractæ & consanguinitatis vinculo, quo connexi erant, majorem curam & rationem habebant statuum suorum, quam uxorum, &c. Vid. *Iob. de Serres vol. 3. invent. histor. in Franc. l. 6. Henr. II. Gall. Regg.*

XI.

Sic in patria potestate constitutus sine patris consensu de jure nuptias contrahere nequit. Quid? si sine illo contractum sit, & copula intervenerit; rescindi id posse jus strictum sancit, sed ob evitandum publicum scandalum, & alia quæ exinde, exsurgunt pericula, cõtemplatio publicæ utilitatis privato juri præfertur. *Alexand. Cæsar. lib. 4. de spons. c. 10.*

XII.

Quæritur, an & hoc sub ratione status comprehendatur, dum multi intra privatos parietes miserè victitantes vestibibus autem splendidis induti nescio quid magni externè demonstrant? Minimè verò. quoniam conviviorum & vestium luxuria agræ civitatis indicia sunt. *Senec. & olim holosericæ vestes non nisi à principe impetrabantur. Symmach. lib. 4. ep. 8. Fabius Gliscentius dial. 4. c. 10.*

A 3

XIII.

Quinimò Princeps, si publicum velit juvare & privatum simul ararium, majora vectigalia exoticis vestium materiis & formis, gemmis, margaritis, &c, emendis & vendendis &c. imponat, ne alioquin lapidum causâ, ut Tiberius de foeminarum luxu ait, pecuniâ nostrâ ad externas aut hostiles gentes transferantur. *Gratian. Trezzus in obs. pol. c. 4. Fab. Pacianus cap. 7. de art. gubern. pop.*

XIV.

In Statu POLITICO magis vires suas exferit hæc ratio status, qua edoctus Romulus in extruenda urbe edicto promulgato nequissimos homines congregavit, iisq; asylum permisit contra jus, quod iniquos & improbos castigat; ob majorem autem utilitatem urbis ædificandæ & amplificandæ prudenter hoc facit. *Liv. lib. 1. dec. 1. & ad eam pulcrè Machiav. in disc. pol.*

XV.

Idq; omnes Principes observare debent, qui domini sui extensionē cupiant, dummodò suscepti homines exuti pravis moribus mox bonis legibus subjiciantur, atq; freno rationis & obedientiæ compescantur; pulcrè *Paul. Paruta lib. de perfect. vit. civ. p. 467.*

XVI.

Simili penè modo providentis. pontifex Sixtus V. nostrâ ætate, quum videret latronib. publicis, quos banditos vocant, Italiam hinc inde affligi, & publicas vias ab iis inquietari, proposito præmio & mortis supplicio adempto latronibus quicumq; socios suos vel vivos vel mortuos Romam inferrent. Quo ipso brevi temporis spacio D. Petri patrimonium, quod vocant, & Latium vicinum fuit liberatum. *Nicol. Doglionus part. 8. theatri princip.*

XVII. Lu.

XVII.

Luculentius idem adparet ex illustri illo consilio apud Tacitum, quod Claudii liberti Pallas, Callistus, Narcissus, de novo Cæsaris matrimonio inivére, quo Julia Agrippina Lollia Paulinæ & Æliæ Petinæ præfertur, non modò ob fœcunditatem & juventutem, sed ne femina expers fœcunditatis integrâ juventâ claritudinem Cæsarium aliam in domum ferret. *Tacitus l. 12. annal. & ibi Annib. Carus.*

XVIII.

Quæ ipsa est ratio Rationis regnativæ: nam primò Claudius dictam Jul. Agrippinam neptem suam ex fratre Germanico ducere uxorem nequiverat: ergo ob majus bonum, majoremq; rationem hoc dominandi jure id facit, ne scilicet, ut antea diximus, claritudo Cæsarium in aliam, novamq; familiam transferretur, & hinc multitudo Cæsarium exoriretur, & consequenter publicæ tranquillitatis turbatio. *Ammir. dd. ll.*

XIX.

Ex quo deducitur adpendicis loco, Principes minimè legibus solutos esse; nisi iis, quæ ad rationis statum spectant, &c. rejectis plerisq; distinctionibus *Interpp. juris in l. princeps. ff. de LL. Videatur inter alios Paruta de perf. vit. civ. p. 252. Fr. Lottinus in caut. civ. 19.*

XX.

Neque ex hoc probo Turcicorum Imperatorum mores, cum fratres suos interficiunt ad tollendam regni ambitionem, ne, multis exstantibus successoribus, publica seditionibus turbentur. Videatur *Simon Majotus colloq. 4. pag. 273. & seqq.*

XXI.

Vim hujus rationis Romani Pontif. non ignoraverunt, quum jure dispensationis Regibus & Principibus ejus-

bus ejusmodi matrimonia, quæ ob sanguinis conjunctionem contrahi nequeunt, indulgent, ne forte can- prohibiti talia inire, Religio catholica detrimenti quid capiat, aut conjunctio Principum catholicorum divellatur. *Covarruv. part. 2. c. 6. §. 9. & 10.*

XXII.

Illas tamen dispensationes ita intellegunt, quatenus è diametro non repugnent legi divinæ, etiam veteri: Quæritur, num valeant? Sub distinctione, respondendum. Vid. *Natta consil. 33. n. 1. & seqq. volum. 8. Mozz. de nupt. col. 7. n. 15. Fichard. vol. 2. conf. 63.*

XXIII.

De NEUTRALITATE, quæ difficilimæ est considerationis & ponderis, hoc dumtaxat addo, eã tum demum amplectendam, si vicini principes bellum inter se gerentes æquè potentes sint territorio, pecuniâ, vel auxilio. *Boterus in tract. de neutr. Franc. Guicciard. monit. polit. 81.* quamvis alioquin neutrales similes sint iis, qui in medio domus alicujus habitant, quib. inferiores fumo, superiores urinâ sunt molesti, ut Politicus ille ait scitè.

XXIV.

Similiter, etsi principes nemini jus suum sine causa auferre possint, ob publicam tamen causam, v. g. ædes muris vicinas demoliri, ne hostes fortean eò se recipiant, onera ob eamdem causam subditis imponere non prohibentur, dummodò majus exinde publico exurgat emolumentum. Vid. *Fernand. Vasquius lib. 1. contr. 6.*

XXV.

In Ostracismo apud Athenienses recepto expul-
lalat manifesta ratio status: nam licet omni juri vi-
deatur contrarium, punire hominem, propterea quòd
virtuti

virtuti sit nimum addictus, quod gloria, divitiis, & potentiâ præcellat: tamen ad eximendam populo suspitionem, & ob præcavendam status mutationem, præsertim in Aristocratia & Democratia, salubriter institutus ille fuit. *P. Mexias sybv. var. lect. part. 2. c. 20. Villarjns de præcept. status lib. 1. c. 14.*

XXVI.

Unde & apud Romanos, ut nihil dicam de Scipione Africano, Rubellius Plautus Tiberij pronepos, qui quum ob singulares animi & corporis dotes plurimum famæ adeptus esset, ne favore populi, & præfagiis, quæ ipsi summa videbantur polliceri, ad Imperium promoveretur; iis Nero permotus R. Plautum admonuit literis, ut cõsuleret sibi & urbi, seq; pravè difamantibus subtraheret: esse illi per Asiam avitos agros, in quib. tutâ & inturbidâ juventâ frueretur. Cui ut honesto & tacito exilio propter multam virtutum opinionem & existimationem Plautus noster prudenter paruit. Vid. *Lottinus caut. civil. 636. & seq. Annibal Carus in lib. 14. Annal.*

XXVII.

Diligenter itaq; notare debent in aulis & rebus publicis illi, qui nimiâ virtute, potentiâ, & auctoritate pollent, ut aut animum demittant, præsertim si peregrini sint, aut tempestivè regno vel urbe excedant. Sic Decius Syllanus, quum sentiret sibi renunciari amicitiâ Augusti ob patratum cum ejus nepte adulterium, exilium sibi demonstrari intellexit, nullaq; interjectâ morâ discessit. *Tacitus lib. 3. annal. Villar. de præcept. stat. lib. 1. c. 9.*

XXVIII.

Aut munificentia beneficiisq; tibi devincias cum divitibus pauperes quoq; & inprimis clerum.

B

Quibus

bus artibus domus Medicæa ad eam magnitudinem,
quâ splendet hodie, elevata est. Hoc secretum Flo-
rent. Secretarius in Principe passim suggerit suo Prin-
cipi. *Francisc. Sansovinus in concept. polit. 136. & 168. Jac.
August. Thuanus lib. 1. histor. p. 62.*

XXIX.

Interea tamen respub. libera oportune hujusmo-
di membra arruncet, exemplo Atheniensium, ne au-
cta favore populi, & potentia, mutationem invehant.
Quod Veneti prudentissime observant, apud quos ne-
que divitiis divites insolescunt, neq; pauperes ob rei
tenuitatem contra nobiles exsurgunt. Qua de re pul-
cre *Trajan. Boccalin. in raguagl. di Parnasso, centur. 1. c. 5.
Lottinus caut. civil. 31.*

XXX.

Idq; inde accidit, quod pauperes ibi virtute sua
ad publica officia evehuntur, & nobiles munerib. ge-
nere suo dignis, ad mitram usque ducalem extollun-
tur. *Trajan. Bocc. d. centur. 1. cap. 5. Vid. Petr. Mar. Con-
saren. in comp. univ. de repub.*

XXXI.

Minimè autem Gallorum consuetudo, qua officia
publica non virtute deferuntur, superioris Præsiden-
tis & Cancellarii munere excepto, in militia togata;
sed pecuniâ, qua destituti virtutis præmium non me-
rentur, huic rationi status respondet. *Antimachiavell.
lib. 1. max. 1. n. 16. Comineus lib. 1. cap. 12. pulcre Bernh. Gi-
rardus de stat. Gall. lib. 3.*

XXXI.

De Principe, præsertim eo, qui superiore non re-
cognoscit, quæritur, defensionis necessariæ causâ, quæ
omni jure cuivis contra quemvis concessa est, num
liceat

liceat ei resistere usq; ad mortem? annon ex ratione
status connivendū, & potius mors expectanda, quam
principem in te sine causa vi insultantē, è medio tol-
lere, tuæ defensionis causā? Cum Jctis id negamus.
Luc. de Penna in l. prohibitum de iur. fisc. lul. Clarus
5. sent. §. fin. q. 29. n. 2. &c. licet politicæ non desint ra-
tiones, quæ ex Rationis nostræ canone planè contra-
rium suadeant.

XXXIII.

Principem verò prætextu RATIONIS regnati-
væ, qua multi abutuntur, ob tyrannidem, vel hæresin,
vel simile quid è medio statim tollere, omnem barba-
riem & humanitatem superat. Videatur *Hieron. Fra-*
chetta in seminar. polit. cap. 7. &c.

XXXIV.

De parentib. & liberis hoc quoq; ex jure regnan-
di enucleo, quod, etsi parricidii pœna constituta sit in
eos, qui liberos aut parentes interfecerint: tamen ra-
tione publici boni, qui ad patriam delendam vene-
rit, quem si filius patrem, aut pater filium occidisset,
sine scelere etiam præmio adficiendum omnes cōsti-
tuerunt, ut ait *Marcell. l. minime 35. de relig. & sum. fun.*

XXXV.

Sic licet durū videatur, & rationi naturali adver-
sum, quod jure feudali vasallus contra parentes domi-
no suo servire debeat; attamen non solum ita lege cō-
suetudinis scriptū est *c. 1. §. fin. hic fin. lex.* sed & privatus
amor, quem parentib. debemus, publico, quo patriæ
& ejus patribus adstringimur, cedit. Videatur *Anton.*
Borrius part. 1. cavalcate c. 11.

XXXVI.

In pœnalib. hoc sancitū est, ut pœna suos aucto-

B 2

reste-

res tenere debeat, *l. sancimus C. de pæn.* Quid, si multitudo deliquit? certè vi rationis regnativæ in singulos non erit inquirendum, ne ex minori tumultu major exsurgat: atq; ita major minori cedat rationi. *Ammirat. lib. 18. disc. 4. Fr. Sansovinus concept. pol. 182.*

XXXVII.

Quemadmodum etiam Princeps virtutis alicujus singularis aut meriti intuitu, delinquentibus pœnam ordinariam remittere potest, *dispos. L. ad bestias. ff. de pæn. & not. scitè in Iconolog. sua Cæsar Ripa, in icono rationis stat. p. 454.*

XXXVIII.

Quinimo interest Principis, ne ministrum, maxime privati alicujus criminis conscium, cui secreta status sui sint cognita, amoveat, metu, ne illa hosti & aliis revelet: aut, si crimen directò quoq; publicum respiciat, funditus tollat eum, exemplo Tarquinii, qui velut de liberabundus in hortum ædium transiit, sequente nuncio filii, ibi inambulans tacitus summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. *T. Livius lib. 1. decade 1.*

XXXIX.

Ex quibus hoc quoq; addo obiter; Tutiores esse Remp. in qua malus Princeps, càm, in qua mali Principis ministri. Quæ de re pulchrè Lampridius in *Alexand. Sev. Antimach. lib. 1. max. 1. Fab. Pacianus de arte gubern. pop. cap. 3.*

XL.

Eodem spectat, quòd legatus in legatione, etsi deliquerit, tamen propter publici juris & gentium auctoritatem, quâ eum violare nefas est, non sit detinendus, multò minus interficiendus. *Franc. Vayerius de leg. c. 4. Alberic. Gentil. de legat. lib. 2. cap. 10. & Venul. in l. 12. ff. de*

*ff. de accus. Addatur Guid. Panciroll. in observ. var. lib. 5.
cap. 58.*

XLI.

Hispanorum itidem *Cruciata*, ut vocāt, hac Ratio-
ne fundatur. Illā enim infinita Regi pecunia compa-
ratur, licentiā vescendi carnibus permittā iis omnib.
per quadragesimam, qui modō Regi persolvant *Rea-
lem Hispanicum*, licet præceptum Ecclesiæ Rom. gene-
rale huic inventioni regnativæ contradicat. Vid. *Am-
bros. de Salazar. in Almoneda Hispan.*

XLII.

Idem sentio de interdicta *νεροφαια* Anglorum,
qui regni & subditorum inspectā utilitate sub gravis-
simis pœnis carniū esum, prædictā quadragesimā,
prohibent, ut eo citius pisces, quorum magna ibi co-
pia, vendantur, & carnes conserventur, &c.

XLIII.

Quid autem dicendum de illo Britannorum jure?
quo ad Regem illustrium nobiliumq; pupillorum tu-
tela, administratio, imō & reditus, reservatis tantūm
istis convenientibus alimentis, spectant: immō & in
Regis arbitrio pupillum ejusmodi matrimonio loca-
re, quod illi melius utiliusve videatur. Rationi re-
gnativæ id adpropriè convenit. *Fr. Sansovin. de regn.
Angl. Smithus & Buttenus de regn. Angl. lib. 3. c. 5.*

XLIV.

Deniq; sub ratione status in Italia & Hispania, &c.
publicè lupanaria tolerantur, & exinde vectigalia &
reditus colliguntur. Quæritur, an consuetudini huic
sub vexillo prudentiæ regnativæ locus sit adsignan-
dus? Gentes illæ adfirmant, ut scil. majori malo, puta
adulterio, raptui, & Sodomix tollendæ obviam eant:
Nos aliter ex sacris paginis rem decidimus, *Exod. 20.*

B 3

Deut.

Deut. 23. *Canonher. disc. pol. quaest. Utrum meretr. reip. sine
necess. De lupanar. videatur & Francisc. Fernand. de Cor-
dua in didasc. multipl. c. 39. ad fin. Thomas Garzonus in for.
univers. discurs. 74.*

XLV.

Hæc ex temporali statu delibasse sufficiat. In EC-
CLESIASTICO ordine Catholici, maximè in Italia
& Hispania, hanc Rationem status omninò rejiciunt,
quod ad conscientiarum libertatem, liberumve reli-
gionis exercitium attinet, idèò, quod, illam legi divi-
næ in hoc casu è diametro adversari autument. Vid.
Canonher. d. q. Quid sit status.

XLVI.

Econtra in Gallia, Germania, Belgio, & apud
Turcas *Aurevonia* gentibus istis magno hætenus incre-
mento fuit, & ad pacis Imperiiq̄ue, conservationem
plurimum profuit. *Bodinus passim.*

XLVII.

Negari tamen non potest, quin ex diversitate religio-
nū, notæ variæ disensiones, animorū exulcerationes,
diffidentia, bella, direptiones, caedes, rerumq̄; penu-
ria multas Reip. partes si planè non absorbeant, ita ta-
men adficient, ut vix pristino decori restitui posse vi-
deantur. *Renatus de Lusinga de increment. Imper. libro 1.
cap. 11. num. 15.*

XLVIII.

Infallibilis igitur hæc erit conclusio, ut libertas
Religionis tum demum permittatur, si fidei unitati
& conformitati mederi aliter nobis non liceat,

XLIX.

Quid de INQUISITIONE statuendum? Cer-
tè si rem politicè, & juxta STATUS RATIONEM,
repudiato

repudiato illius abusu, consideraverimus, non vanis illa innititur fundamentis. Ejus etenim medio semina hæreseõni evelluntur, librorum imprimendorum libertas non cuivis permittitur, atque adeo discordiæ, quæ inde gliscunt, & disensiones variæ tolluntur, &c. *Franciscus Sansovinus libr. 4. de gubernat. regn. sub tit. de cons. inquisit. Hisp.*

L.

Breviter, tota pœnè hierarchia Ecclesiæ catholicæ stabilita est hac Ratione status. Nam utcunque mundi Salvator suis discipulis ingerat his verbis: *REGES & PRINCIPES terra dominantur, Vos autem non sic &c.* distinctione tamen temporum, ut Reges & Principes in officio suo facilius contineantur, non solum potentiam & auctoritatem externam Pontificis Romani requirunt, sed & fulminibus illis & mucronibus excommunicatoriis feriunt seditiosos, inobedientes, ut loquuntur, sedi Apostolicæ, sicut & omnes illos, qui sine causa bella gerunt, &c. *Qua de re dicam plura in Politica mea pontificia. Videatur P. Andr. Canonherius in discurs. de relig. & Paulus III. in admonit. pat. ad Carol. V.*

L I.

Ejusdem farinae est interdictum clericis conjugium. Nam præceptum illud divinum, *CRESCE ET MULTIPLICAMINI*, in prima mundi ætate, ajunt, generale quidem fuit, & necessarium ad augendum genus humanum; sed ob majorem causam deductam ex ratione status, ad beneficiorum Ecclesiasticorum conservationem, ad tuendam Ecclesiæ auctoritatem &c. conjugio abstinere jubentur. Videatur inter alios *Martinus Azpilcueta Hisp. de re dit. benef. sup. can. Quicquid. 16. quest. 1.*

L II. Illud

LII.

Illud autem Rationi status repugnat, si quis veritatem doctrinae Christianae cognoscens, majoris alicujus boni, vel fortunae consequendae causa falsitatem & damnatam haeresin velit amplecti.

LIII.

Quid v. judicandum sit de iis, qui à fide catholica alieni, virtutis acquirendae causa, ut reip. majori cum fructu & utilitate inservire quandoq; possint, Italiam & Hispaniam adeunt, missis ibi intersunt, & aliis ceremoniis catholicis, exemplo Naamani, qui à Propheta Elisæo potestatem impetravit, ut Regi suo Ethnico idolis sacrificanti adisteret, & ante idola se prosterneret, 2. Reg. 5. *Interrogantib. respondeb.*

De redivibus Principi colligendis & augendis, ex cynosura hujus rationis regnativae, aliquid esset dicendum; Sed hujusmodi in arcaniori sunt referenda & servanda arca.

Imperia civilia.

1. *Rei militaris Rom. cum hodierna comparatio institui potest.*
2. *Peregrinus in Imper. Germ. Rom. eligi non debet.*
3. *Imperium Germ. Rom. Monarchicum est.*
4. *Electorum institutio recte ad Othob. III. refertur.*
5. *In eodem consilio non debet esse pater, filius, frater, &c.*
6. *Nobilibus mercaturam exercere inconveniens.*
7. *Populus non est in continuo metu detinendus.*
8. *Viris magnis divitiae nimiae & inopia nimia aequè periculosa.*
9. *Ministri Prr. per gradus promoveri debent, non per saltum.*
10. *Interest Reip. matrimoniorum aequalitatem ratione generis & aetatis maxime observari.*
11. *Princeps exemplo magis quam poenâ proficit.*
12. *Hostes ad desperationem in praelio non sunt redigendi.*

F I N I S.

V017

ULB Halle
003 252 043


3



Sb.








Farbkarte #13

B.I.G.



1615, 2 7/1

DE
 DEN.
 NANDI
 ULARI,
 U
 E STATUS
 POLITICÆ.
 RICÆ,
 e in illustri Gymna-
 ALTINO propositæ,
 DENTE
 ERDESIA-
 U. D.
 DENTE
 O ULRICO
 ano. 1. Xbris
 STÆ
 æ Dörfferi,
 OC. XV.

